



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus X. De Venditore infra dimidium justii pretii læso.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155

trahere, monitus, coram testibus à venditore, ut extrahat fuerit, nec tamen extrahat, posse venditorem talem rem tertio vendere, vel alia vasa, ac locum sumptibus emptoris conducere, aut, si in loco rem relinquat, mercedem tanquam lo-

cationis exigere. Erunt igitur circumstantiæ in hoc casu ratione asservati tritici occurrentes bene expendendæ, ad hoc, ut decidatur, num triticum hoc licite vel illicitè fuerit tertio venditum.



Casus X.

De Venditore infra dimidium justii læso.

SEmpronius statuum, quia præstantiam metalli, ex quo illa fusa, ignoraverat, pretio, justo multum minore vendit postea autem errorem suum à peritioribus dedoctus, ex aliis.

Quær. Utrùm hunc contractum ob sui in pretio læsionem rescindere possit?

§. I.

An, & quomodo læsis in pretio venditoribus ipsa jura succurrant?

Synopsis.

1. Adducitur Lex 2. Cod. de rescindenda venditione.
2. Uti etiam Lex, si voluntate. 8. Cod. eodem.
3. Enumerantur quinque à prædictis legibus statuta.
4. Infra dimidium læsis succurrunt Canones per viam denuntiationis Ecclesiasticæ.
5. Ad compensationem damni etiam intra dimidium illati lædens in conscientia obligatur.
6. Nec ab hac bona fide lædens per se erit excusatus.
7. Quia leges lædenti rei emptæ

ptæ dominium non (uti præscribenti) attribuunt.

8. Citatæ leges ad res mobiles se extendunt.

§. II.

Quenam læsio supra dimidium justii pretii sit dicenda.

9. Est certarum circumstantiarum in hoc ratio habenda.
10. Num scilicet res sit oneribus subiecta.
11. Quantum tempore contractus valuerit.
12. Erit etiam læsio computanda ex summo aut infimo naturali pretio rei.
13. Ut læsio talis probetur, quid à testibus sit deponendum.
14. Si venditor nec infimum pretium pro re acceperit, indimidium fuit læsus.
15. Rem valentem 100. emens 151. est læsus ultrà dimidium.
16. Quandonam emptor lædatur ultrà dimidium pretii.
17. Æstimatio læsionis est desumenda à pretio, quod dat emptor, non autem à recepta.

18. Solvitur objectio.

§. III.

Num etiam subinde detur actio infrà dimidium læso.

19. Per se & exceptis quibusdam casibus non datur actio læsis infrà dimidium.
20. Talis circumstantia est dolus in contractu commissus.
21. Si pretium fuit lege taxatum.
22. Si læsio in re morbosa & vitiosa facta.
23. Si minor 25. annis, aut Ecclesiæ fuerint læsæ.
24. Aut in dotis æstimatione læsio intervenerit.

§. IV.

Resolvitur Quæsitum.

Utrum iste contractus ob factam in illo læsionem rescindi possit?

25. Ut rescindatur, debet constare læsio ultrà dimidium justii pretii.
26. Et videndum, quales circumstantiæ adsint.

M

27.

27. Ad pretii supplementum agere læsus poterit, si emptor mala fide emptum consumpsit, aut alienavit.
28. Si bona fide consumpsit, ad id, in quo factus est ditior, conveniri poterit.
29. Talis tamen venditio non rescinditur necessario, sed pretii defectus suppleri poterit.
30. Electio unius præ altero est penes emptorem lædentem.

§. I.

An, & quomodo læsis in pretio venditoribus ipsa jura succurrant?

Imperatoria leges à Summis Pontificibus receptæ, & in sacrum Jus coaptatæ venditoribus in pretio læsis succurrunt in leg. 2. Cod. de rescindenda venditione, ubi hæc statuta: *Rem majoris pretii, si tu vel pater minoris distraxerit, humanum est, ut vel pretium te restituente emptoribus fundum venundatum recipias auctoritate judicis intercedente: vel si emptor elegeris, quod deest justo pretio, recipias, minus autem pretium*

esse videtur, si nec dimidia pars veri pretii soluta est.

Insuper lege, si voluntate. 8. Cod. eodem habetur: *neque bonam fidem, quæ emptionis, atque venditionis conventionem tuetur, pati, neque ullam rationem concedere, rescindi propter hoc (quod venditor in pretio læsus est) consensu finitum contractum, vel statim, vel post pretii quantitatis disceptationem, nisi minus dimidia justii pretii, quod fuerat tempore venditionis, datum esset, electione jam emptori præstita servanda.*

In adductis modò Cæsareis Legibus quinque sunt statuta. Primum: Succurri venditori læso in pretio, atque contra emptorem dari actionem, non tamen etiam ob quamcunque gravem læsionem.

Secundum. Pro levi læsione habenda, quæ dimidium justii pretii non excedit. Tertium. Etsi læsio dimidium pretii excedat, non tamen necessario & præcisè rescindi venditionem, sed vel rescindi recepta merce, si hæc jam emptori fuerit tradita, & restitutò pretio, vel pretii defectum suppleri, ac cætera stare contractu. Quartum,

Non

Non penes venditorem, sed penes lædentem esse electionem, utrum ex his malit. Quintum. LæSIONEM intelligendam esse de justo pretio, quod fuit tempore venditionis.

4 Etiam si autem in his duabus legibus imperialibus solum ultrà dimidium læsis succurratur, neque Ecclesiasticæ intrà dimidium læsis actionem concedant: Ecclesia tamen infrà dimidium læsis etiam succurrit per viam denuntiationis Evangelicæ ratione peccati, atque ad satisfactionem lædentem compellit juxta Rebellum, lib. 9. de oblig. just. quest. 3. sect. 2. n. 15. Salas de empt. dub. 27. n. 4. Ratio hujus ultimi est, quòd Ecclesiastica potestas cognoscere possit viâ denuntiationis de quocunque peccato mortali cujuscunque Christiani, etiam laici ad effectum eum per censuras Ecclesiasticas cogendi ad poenitentiam, & satisfactionem, ita habetur in cap. Novit. de Judic.

5 Licet autem leges imperiales læso intrà dimidium actionem denegent, ex hoc tamen taliter lædens à compensatione damni illati nequaquam in conscientia

excusatus erit: prout constat ex Deuteron. 25. v. 13. & Proverb. 20. v. 10. PONDUS, & pondus, mensura, & mensura, utrumque abominabile est apud Deum. id est, mensura & pondus duplex, ac diversum; majus in emendo, minus in vendendo.

Ratio ulterior est: Justitia postulat æqualitatem: sed hæc violatur etiam per læSIONEM intrà dimidium: ergo. Confir. Potest contingere, ut in quodam contractu læsio intrà dimidium sit major, quàm in alio contractu sit læsio ultrà dimidium: ergo si in hoc casu datur obligatio in conscientia, ad restitutionem, etiam dabitur in priore. Confirm. pro accipiendo & retinendo excessu ultrà justum pretium non potest titulus aliquis afferri: ergo &c. Confirm. ulterius. Seclusa lege positiva, actionem ob læSIONEM intrà dimidium justii pretii denegante, utraque læsio esset injusta, tam quæ est infrà, quàm quæ est ultrà medietatem: ergo etiam post latam hanc legem utraque erit injusta, obligationem restituendi inducens in conscientia. Probatum conseq. Lex ista nullius læsionis

nis injustitiam sustulit : ergo &c.

6 Neque ab hac restitutione excusat lædentem , quòd in emptione nullum committens peccatum bona fide processerit , licet enim in hoc casu ex injusta acceptione non teneatur , adest tamen obligatio ex re accepta , cujus accipiendi & retinendi titulo caret , excusabitur tamen ejusmodi bonæ fidei læsor , si interea excessum præscripserit , aut bona fide absumpserit , & emptor ex hoc non factus fuerit ditior.

7 Dices. Eo ipso , quòd leges intrà dimidium negârint actionem , excessum pretii adjudicârunt saltem læsori bonæ fidei. Prob. quia legitimè præscribentem convenire non licet , hinc infertur , quòd jura dominium rei præscriptæ attribuant præscribenti : ergo idem de præsententi materia tenendum. Resp. neg. antec. in probatione negatur paritas , non enim eadem vel similis quædam ratio pugnat pro donatione excessûs intrà dimidium , quæ habetur in præscriptione , ob quam transfertur dominium in præscribeutem ,

quod ideo fit , ne dominia rerum semper incerta maneant cum gravissimo possidentium damno.

Denique , quia ratio legum harum imperialium in æquitate fundatur & locum etiam in omnibus rebus etiam vilibus invenit , hinc etiam in bonis mobilibus , & etiam non pretiosis , ultrà dimidium enormiter læso succurritur , dummodo illatum damnum attingat quantitatem , quæ in judicium deduci mereatur.

§. II.

Quanam læsio supra dimidium justii pretii sit dicenda ?

UT constet , læsionem supra dimidium pretii esse factâ , & hinc locum adesse vel rescissioni ipsius contractûs , vel suppleendo defectui , certarum circumstantiarum habenda erit ratio.

Et primò quidem , cùm rei venditæ valor ac æstimatio sit mensura , levis , vel gravis læsionis , ut ista æstimatio determinetur , examinandum erit , quibus oneribus res sit obligata , an cui-dam hypothecæ subiecta ? an

cen-

censûs, vel Canonis oneri? cùm enim modò enumerata valorem rei multum minuunt, hinc istarum circumstantiarum ratio erit habenda in determinando rei venditæ valore.

11 Secundò: Cùm justum rerum pretium pro varietate temporum mutetur, hinc videndum erit, quale & quantum justum pretium res habuerit pro tempore celebrati contractûs, ut læsio justii infra vel suprâ dimidium pretium facta declaretur. Prob. an rescindendus contractus, vel defectus pretii supplendus sit, colligitur ex læsione in ipso contractu facta, non autem, qualicunque alia, quæ fortè ex damno primùm post contractum alterutri contrahentium evenit: atqui læsio in contractu facta desumenda unicè est ex valore, quem res tunc habebat: ergo ad istum erit attendendum.

12 Tertiò. Cùm pretium naturale, seu vulgare, aliud sit infimum, aliud medium; aliud summum, consequenter nequaquam indivisibile, sciendum, quantitatem læsionis solùm juxta infimum & summum pretium computari, ità, ut venditor tunc

solùm læsus censeatur infra dimidium justii pretii, si nec dimidium justii pretii infimi acceperat, emptor ex opposito, quando ultra dimidium summi pretii plùs dedit. Ità docent cum communi Covarruv. lib. 2. vari. cap. 3. n. 3. Molina tract. 2. disp. 349. n. 3. Rebellus de oblig. just. p. 2. lib. 9. quest. 3. sect. 1. Salas de emptione dub. 27. n. 1.

Ex quo deducimus, ut per testes probetur, quòd emptor sit læsus, nequaquam sufficere, si illi affirmant, hoc vel illud pretium contractûs fuisse justum naturale, & solutum non fuisse, sed testari debebunt, hoc vel illud fuisse summum, & ultra hoc adhuc aliquid ab emptore solutum: ex opposito, ut venditor demonstretur esse læsus, deponere debent, hoc vel illud pretium fuisse infimum, & non acceptum. Hîs præmissis

Dico 1. Venditorem tunc fuisse læsum infra dimidium, si pro re nec infimum pretium accepit, ut, si hoc sit 100, venditor autem accepit infra quinquaginta. Ità communis, & probatur ex lege 2. Cod. de rescind. vendit. ibi: minus autem pretium

videtur, si nec dimidia pars veri pretii soluta est. Atqui non est soluta dimidia pars veri pretii, si pro centum infra quinquaginta fuerunt accepta.

15 Dico 2. Emptor ultra dimidium justii pretii læditur, si rem, quæ valet, v. g. centum, emat centum & quinquaginta & uno. Ità sentiunt post Azonem, Bact. Bald. Paulus, Castro, Gutierrez: 2. practi. quest. 133. ac plerique Theolog. Prob. tunc lædor ultra dimidium justii pretii, quando illud, quod supra justum pretium do, superat medietatem pretii, atqui si pro re, quæ valet centum, do centum quinquaginta & unum, tunc illud, quod supra justum pretium do, superat medietatem pretii: ergo. Probat. min. medietas centum florenorum sunt quinquaginta, ego autem do quinquaginta & unum, sed quinquaginta & unum superant quinquaginta, ergo &c. nec minùs certa est major asserens, tunc emptorem lædi ultra dimidium justii pretii, quando istud superans justum pretium, hujus medietatem superat, nam venditor ultra dimidium justii pretii læditur, si pro

valente centum accipit solùm 49. eò quòd medietatem justii pretii superet id, quod ipsi de justo pretio deest: ergo etiam emptor læditur ultra medietatem justii pretii, quando illud, quod supra justum pretium solvit, superat medietatem justii pretii.

Probatur eadem conclusio 2. Inter emptorem ac venditorem est servanda æquitas, non permittens, ut uni magis faveatur, quàm alteri: ergo emptori danda erit actio ex læsione, ex qua datur venditori, atqui venditor, quando dimidium justii pretii non accipit, læditur ultra dimidium justii pretii, & eidem datur actio: ergo vicissim emptor lædetur ultra dimidium justii pretii, & eidem dabitur actio, quando dat ultra dimidium pretii justii. Prob. conseq. hoc posito, quantum læditur venditor minùs accipiendo, tantum læditur emptor plùs dandò. Subsumo: sed quando emptor pro re, quæ valet centum, solvit centum quinquaginta & unum, tunc dat ultra dimidium pretii, quod est 50. ergo dat ultra dimidium justii pretii, si solvat centum quinquaginta & unum,

num. Confir. Si res valet centum, tunc æqualiter læditur emptor dans 152. ac læderetur venditor accipiens solùm 49. idque non tantùm absolutè, eò quòd utriusque læsio & damnum esset 52. Sed etiam cum ordine ad contractum reciprocum: ergo sicut illa læsio venditoris est ultra dimidium, atque actionem parit, ita pariter illa læsio emptoris est ultra dimidium, paritque actionem, nisi iniquè concedere velis venditori succurri ob minorem læsionem, quàm emptori, quòd autem in tali casu æqualiter uterque lædatur non tantùm absolutè, eò quòd utriusque damnum esset 52. sed etiam cum ordine ad contractum reciprocum. Prob. prout enim 52. floreni, in quibus læsio venditoris consistit, dimidiam partem justii pretii superant: ita vicissim 52. in quibus emptoris læsio consistit, superant dimidiam partem mercis.

16 Objic. Emptor tunc tantùm est læsus ultra dimidium, quando v. g. locò centum dedit plus, quàm ducenta. ergo nostra assertio non subsistit. Prob. antec. venditor tunc dicitur læ-

sus ultra dimidium, quando non accepit dimidium justii pretii, seu, cum non accepit dimidiam partem æstimationis rei, quam tradidit emptori, ergo emptor quoque tunc solùm læditur ultra dimidium, quando à venditore non accipit dimidiam æstimationem pretii, quod ipse numeravit; sive cum non accipit à venditore rem valentem dimidium pretii, quod pro illa dedit. Subsumo: atqui hæc non contingunt nisi rem, quæ valet centum, emat plus, quàm ducentis: ergo debet emere plus, quàm ducentis. Probatur min. conf. si rem tantùm ducentis emat, vel minoris, tunc accipit dimidium æstimationis pretii, quod tradidit: ergo non læditur ultra dimidium.

Pro solutione notandum: æstimationem læsionis desumenda non esse à re, quam accipit emptor, sed à pretio, quod dat: ita videlicet, ut sicut damnum venditoris consideratur ex eo, quod minus accipit, sic vicissim damnū emptoris consideratur ex eo, quod dat plus, ut enim Covarruvias *lib. 2. variar. cap. 3. n. 8.* advertit, emptio est à pre-

pretio iudicanda, non ab eo, quod utrinque datur, uti in permutatione fieri solet, eò quòd emptio ac venditio non sit permutatio pecuniæ cum re, sed æstimatio per pecuniam: at si ipsum pretium, quod dat emptor, consideretur, contingit læsio ultra dimidium, si pro re, quæ valet centum, dat 152. quia dimidium iusti pretii sunt 50. ipse verò dat supra 50. hinc negatur suppositum totius argumenti, quòd scilicet æstimatio læsionis debeat desumi à re, quam accipit emptor, quod adversarii volunt

18 Urgent. Emptor ponitur dare bis centum, & res æstimatur centum, ergo si hanc accipit, tunc accipit dimidiũ ducentorũ, æstimationem scilicet rei centum, ergo non læditur ultra dimidiũ.

3 Prob. conseq. læditur solummodo in centum, sed hæc non sunt ultra dimidium ducentorum, ergo non læditur ultra dimidium. Resp. transmissio primo enthymemate dist. illatum: ergo non læditur ultra dimidium pretii, si æstimatio læsionis desumi debeat à re, quam emptor accipit, transf. si desumenda sit à

pretio, quod dat emptor, neg. damnum venditoris consideratur ex eo, quod minus pretiò iustò accipit: ergo ipsius emptoris ex eo, quod iustò pretiò plus dat. In dato autem objectionis supposito licet rei æstimationem accipiat, tamen ultra 50. læditur.

§. III.

Resolvitur Quæsitum.

Num etiam detur subinde actio in læsione intra dimidium.

Dico per se, & exceptis quibusdam circumstantiis nõ datur talis actio læsis intra dimidium, conclusio constat ex lege 2. Cod. de rescindenda venditione à nobis adducta n. 1. in §. 1.

Circumstantiæ autem, ex quibus illa datur, non tamen ex vicitatæ legis 2. sunt sequentes. Primò est læsio ex dolo, seu deceptione propriè dicta proveniens per mendacium ac falsitatem. Colligitur hoc ex leg. Julian. 13. §. 4. & 6. ff. de action. empti. leg. 1. §. persuadere. ff. de rerum corruptione. Conceditur autem hæc

hæc actio, quando dolus causam contractui dedit, juxta communissimam etiam, quando dolus solum incidit in contractum, hoc est, quando etiam absente dolo contractum fuisset, talis enim contractus ratione doli rescinditur, & fraus suppleto defectu tollitur; in priore autem casu, quia contractus est nullus, hinc sola illius nullitatis declaratione, non autem rescissione opus erit.

21 Secundò. Etiam locus rescissioni datur, quando pretium est lege taxatum, tunc enim læsus ad judicem confugere potest, ut lædentem compellat supplere defectum pretii, vel contractum rescindere. Ità sentiunt præter alios Covarruvias, Rodriguez. Salas. ad judicem etenim pertinet legum, quæ commoda civium & commerciorum spectant, observationem curare.

22 Tertiò. Quando læsio non est facta immediatè in pretio, sed in re morbosa & vitiosa.

23 Quartò. Quando minor 25, annis in contractu fuit læsus, quod ipsum etiam in Ecclesiis & communitatibus locum in-

venit, restituitur etenim in integrum ex leg. quisquis. 15. Cod. de rescind. venditione. tum ob specialem favorem minoribus & Ecclesiis exhiberi solitum.

Quintò. Si læsio in dotis æstimatione intervenerit; cum causa dotis sit favorabilis, & pro hac opinione major Doctorum sententia stet; hinc securè ac rectè juxta illam proceditur.

§. IV.

Utrum contractus iste ob læsionem in illo factam rescindi possit?

Resolutio ex dictis hætenus erit petenda, ante omnia autem examinandum, utrum venditor infra dimidium iusti pretii in distractione hujus statux fuerit læsus? si constiterit, læsionem infra dimidium iusti pretii commissam fuisse.

Explorandum erit, an non intervenerit in contractu talis circumstantia, ob quam venditori etiam læso infra dimidium rescissio venditionis denegetur, talis est renuntio dictæ legis secundæ expressè facta, modò læsio non fuerit enormissima. Ità

N

tra-

tradunt communiter DD. ex lege. *Quæritur. §. si venditor. ff. de ædilitia actione.* vi hujus enim non datur regressus actionem suam renuntianti, procedunt autem ista, etiamsi renuntians eo tempore justum rei pretium ignoraverit juxta Paul. Castro. & Covarruviam. Quòd si venditor rem, quæ valet 100. distraxit 40. addens, se donare excessum, si res pluris valeat, ità Baët. Alex. cum aliis &c. rationem hujus dant, quia testante Ulpiano *lege. 192 ff. de V. S. hæc adjectio pluris non infinitam pecuniam continet, sed modicam.* Hinc adjecta hæc clausula nequaquam de magna quantitate, quæ enormis est, quæ actionem parit, sed de modica est intelligenda, cessabit autem effectus & beneficium legis 2. citatæ, si absque necessitate ac dolo venditor dicat, se ultrò remittere, ac donare, quod plus valet res, quantumcunque illud sit. Ità Baldus, Sal. Paul. Castro. Ratio est, quòd ejusmodi verba universalialia, *totum, quantumcunque est*, videtur comprehendere omnem læsionem.

Casu autem, quo venditor ju-

raverit, se huic contractui non contraventurum, beneficio rescissionis nequaquam gaudebit, juxta communem in *cap. quamvis pactum. de pactis in 6. §. 4. n. 4.*

Si res, v. g. dicta statua bona²⁷ fide fuit empta, fortuito autem casu postea apud emptorem perierit, aut titulò lucrativò alienata fuit, ad supplementum pretii venditor non poterit agere. Ità commuiter Doctores: *ex lege: Si res æstimata. §. 1. ff. cum dilecti. de emptione n. 10. & ex leg. si res æstimata. §. 1 ff. de jure dotium.* Idem tenendum, si etiam mala fide res empta fuerit, casu autem fortuito perierit, tunc enim ad supplementum agi non potest ex hac ratione, quia dictæ legis actio alternativè tantùm datur ad rescissionem contractûs, vel supplementum pretii, cessat autem optio, quam habet læsus ad agendum, si res perempta sit.

Quando emptor etiam mala²⁸ fide rem emptam consumpsit, aut alienavit, venditor agere adversus ipsum potest ad pretii supplementum juxta Molinam, Salas, Palaum *de just. comm. disp. 5. part. 17. num. 20.* cùm enim talis con-

consumens, se ipsum facultate eligendi vel rescissionem, aut supplendi defectum pretii spolliavit, hinc non obest, quod optionem eligendi unum ex istis non habeat.

29 Si emptor etiam bona fide infra dimidium justii pretii emptam consumpsit, vel oneroso titulo alienavit, adversus ipsum agi poterit, ut reddat venditori id, in quo factus est locupletior. Ita Covarruvias, Molina, atque alii. Ratio est, quod talis rem emptam habeat æquivalenter,

Denique notandum juxta citatam legem secundam. Talem venditionem non rescindi necessario, ac præcisè, sed vel rescindi recepta merce, si hac tradita emptori fuerit, & restituito pretio: vel pretii defectum suppleri, ac cætera stari contractu.

Utrum autem ex his sit eligendum præ altero, esse penes emptorem lædentem, non autem penes venditorem.



Casus XI.

De vitio mercis manifestando.

Titus Præfecto praxatoriae Electoralis valde multas scaphas hordei, ad coquendam tamen cerevisiam ob sui vetustatem inutiles vendit.

Quæ. Quid de hujus contractus valore sit tenendum?

Synopsis.

§. I.

Conclusiones præviae.

1. Tria vitiorum genera in mercibus inveniuntur,

N 2

2. Alia